

modè accedere ad Curiam.—Mandans Clericum percuti, excommunicatus est, sicut percutiens.

7. *Porrd.*—Excommunicatus per injectionem manuum in Clericum, licèt occultus, absolvitur per solum Papam.— Vide in Auctore lib. V. hoc eod. tit. n. 233. "

8. *Nulli.*—Etiam privilegiati tenentur vitare excommunicatum: et per injectionem manuum in Clericum excommunicati sunt.

9. *Parochianos.*—Percutiens monachum vel conversum religiosum, debet denunciari excommunicatus, et vitari, donec fuerit per Papam absolutus.

10. *Ea tenore.*—Ponitur forma præcepti, quod cum juramento fieri debet illi, qui pro violenta manuum injectione in Clericum excommunicatus absolvitur.

11. *De cetero.*—Excommunicatum pro percussione Clerici absolvit Episcopus, si sine periculo Papam adire nequit: debet tamen illi mandare, quòd adeat Papam, impedimento cessante.

12. *Ad hæc.*—Cum Papa absolutionem excommunicati delegat, mandat recipi cautionem de parendo mandatis Ecclesiæ.

13. *Ea noscitur.*—Excommunicatus per Canonem, si quis suadente, sive dives, vel pauper, per Papam absolvendus est, vel ejus Legatum. Fallit in muliere, sene, infirmo vel mutilato, qui per Episcopum absolvi possunt.

14. *Cum non.*—Ante denunciationem vitandus est excommunicatus pro violenta manuum injectione in Clericos, nisi sit occultus. Interficiens clericum, qui, contempto Clericali habitu se enormitatibus inmiscuit, excommunicatus non est.— Vide restrictionem Elencho I. n. 71. "

15. *Cum desideres.*—Ante absolutionem communicandum non est excommunicato, licèt juraverit parere mandatis Ecclesiæ, vel composuerit cum offenso. Infamato de excommunicatione communicandum non est, nisi se purget, vel ad cautelam absolvatur.— Vide restrictionem Elencho I. n. 72. "

16. *Veniens.*—Sacerdos ejiciens regularem de Ecclesia officia divina turbantem, excommunicatus non est.

17. *Pervenit.*—Summa, ut I. pars. cap. *Si verò* 3. suprà.

18. *Significavit.*—Clericus, qui scienter et spontè participat excommunicato in divinis, excommunicatus est excommunicatione majori, et tantùm absolvendus per Papam.— Intellige, si communicat cum excommunicato non à jure, sed ut denunciato à Papa, vel ab homine ut vitando. Thes. verb. *Censura* cap. 6. "

7 Idem.
8 Idem.
9 Id. Ep. et Prael. Gall.
10 Id. Januën. Ep.
11 Idem Cenon. Ep.
12 Urban. III. eidem.

13 Clem. III.
14 Idem.
15 Idem.
16 Idem.
17 Idem.
18 Idem.

19. *Tua.*—Excommunicatus pro injectione manuum in Clericum, vel incendiarius, post publicationem à solo Papa absolvitur.— Etiam si declaratus fuerit excommunicatus à solo Ordinario. Glos. hic verb. *Publicati.* "

20. *Ad eminentiam.*—Summa, ut I. pars cap. *Ea noscitur* 13. suprà.

21. *A nobis.*—Generalis excommunicatio solùm obligat subditos proferentis.

22. *Conquesti.*—Qui cum effractione spoliant Ecclesias, excommunicati sunt, et per Papam tantùm post denunciationem absolvuntur. Intellige, ut suprà cap. *Tua* 19. "

23. *Perpendimus.*—Summa, ut 2. pars cap. *Cum non* 14. suprà.

24. *Universitatis.*—Judex Ecclesiasticus faciens percuti Clericum per laicum, etiam causa disciplinæ, excommunicatus est una cum verberante, et absolvi debent à Papa.

25. *In audientia.*—Clericus, ut laicus incendes tertio monitus, non resipiscens, perdit privilegium Clericale.

26. *Quod de his.*—Summa, ut cap. *De cetero* 11. suprà.

27. *Cum pro causa.*—Ligatus pluribus excommunicationibus, licèt ex eodem facto, obtinens absolutionem, expressa una causa seu una excommunicatione, non habetur pro absoluto quoad aliam.

28. *A nobis.*—Decedenti in excommunicatione, licèt contritus decesserit, non est communicandum ante absolutionem, nec pro eo orandum, licèt sit quoad Deum absolutus: sed si constat de contritione præcedenti, absolvitur etiam post mortem ab eo, à quo vivus fuerat absolvendus: et hæredes ejus compelluntur per Ecclesiam ad satisfaciendum pro eo.— Circa onus impositum hæredibus vide cap. *Parochiano* 14. de sepul. "

29. *Nuper.*—Detinens Clericum in custodia vel vinculis sine læsione, excommunicatus est. Communicans excommunicato scienter in crimine, excommunicatus est; et nisi difficultas impediatur, absolvi debet ab excommunicatore cum juramento. Communicans verò extrà crimen reconciliari potest per simplicem Sacerdotem sine juramento.— De communicante cum excommunicato in crimine, intellige, si hic sit nominatim denunciatus; nec sufficit si sit notorius percussor Clerici. Thes. verb. *Censura* cap. 5. "

30. *Quod in dubiis.*—Juramentum excommunicati de stando mandatis Ecclesiæ non habet vim absolutionis. Excommunicato nullus communicare tenetur præter personas exceptas; aliàs incurrit minorem, et est excommunicandus majori, nisi ille esset excommunicatus

19 Idem.
20 Idem.
21 Idem.
22 Idem.
23 Idem.
24 Idem.

25 Idem.
26 Idem.
27 Id. Arch. et Lugd.
28 Inn. III. Ab. S. Andr.
29 Inn. Uratist. Ep.
30 Id. Strigon. Arch.

cum participibus suis, quia tunc esset excommunicatus majori.—
* Vide correctionem Elencho I. n. 73. **

31. *Inter.*—Excommunicato communicare tenentur, qui prius erant ei obligati ad obsequium familiare: secus alii, nisi urgeat necessitas.

32. *Cum illorum.*—Excommunicatus pro manuum injectione scienter recipiens Ordines, Clericus sæcularis deponendus est; Regularis ab executione Ordinis est suspensus. Qui ignorans jus vel factum, sic excommunicatus recipit Ordines, si est Clericus sæcularis, dispensat cum eo solus Papa; si regularis, dispensat Abbas, si ignorantia est probabilis, et factum non est grave.

33. *De Monialibus.*—Monialis percuciens monialem, Religiosum aut Clericum ab Episcopo absolvitur.

34. *Si verò.*—Contractus etiam, qui sine communione expediri non potest, non dissolvitur per excommunicationem supervenientem in eum, qui tenetur aliquid præstare non excommunicato.

35. *Ut fama.*—Prælati potest, et debet Clericum subjectum incorrigibilem incarcerare, et laici citra metum excommunicationis de Prælatorum licentia capere possunt Clericos, et ad iudicium ducere.

36. *Contingit.*—Excommunicatus est, qui in clericum etiam volentem manus injecerit violentas, etiam si hoc faciat in satisfactionem præcedentis injuriæ.

37. *Relatum.*—Servus excommunicatus pro injectione manuum in clericum, tenetur pro absoluteione ire ad Sed. Apost.: sed si ex hoc dominus, qui non fuit in culpa, grave damnum patiatur, vel servus hoc facit in ejus fraudem, absolvi potest ab Episcopo, si læsio non fuit enormis.

38. *Sacris.*—Excommunicatus ob participationem eum excommunicato, licet eum postea impugnet, ex hoc solo pro absoluto non est habendus.

39. *Sicut.*—Semel excommunicatus debet vitari semper, nisi legitime probet se fuisse absolutum.

40. *Per tuas.*—Si excommunicatus ab Episcopo ad Metropolitanum appellat, ab eo absolvi potest: Metropolitanus tamen volens suo Suffraganeo deferre, potest eum illi remittere absolvendum; et tenetur etiam remittere, quando propter manifestum excessum fuit excommunicatus: et ante absoluteionem non auditur volens probare se injuste excommunicatum: secus, si probare vult sententiam esse nullam.

41. *Si aliquando.*—Papa suis litteris excommunicatum salutans, non ideo eum absolvit.

31 Id. Doct. Decret. Bonon.
32 Idem.
33 Id. Ep. Pistor.
34 Id. Univ. Cruce sig.
35 Idem Lund. Ep.
36 Id. Brachar. Arch.

37 Id. Lond. Ep.
38 Id. Strig. Arch.
39 Id. Assis. Ep.
40 Id. Sen. Arch.
41 Id. Univ. Christ. Lomb.

42. *Officii.*—Excommunicatus à pluribus Prælati ob plures causas, non est in communi restituendus; licet de una causa velit satisfacere; et impetrata absoluteione, tacitis aliis causis, non valet.

43. *Responso.*—Excommunicatis et interdictis predicari potest licite verbum Dei. Tempore generalis interdicti concedi potest baptismus et chrismatio in fronte, et pœnitentia morientium.—* Vide limitationem Elench. I. n. 74. **

44. *Inquisitioni.*—Si conjux scit pro certo impedimentum matrimonii, non debet reddere debitum; sed potius excommunicationem pati: si autem hoc credat ex causa probabili et discreta, potest reddere, sed non exigere; et si ex levi et temeraria causa, deposita conscientia, potest reddere et exigere.

45. *Contingit.*—Per dimissionem habitus et tonsuræ non perdit Clericus ante trinam monitionem privilegium Clericale.—* Vide correctionem Elencho II. n. 183. **

46. *In presentia.*—Ab excommunicati denunciatione repellitur, qui eum non præmonuit, et eidem communicavit.

47. *Quantæ.*—Excommunicatus est dolose permittens Clericum percuti, ex quo poterat prohibere, et non prohibuit.

48. *Sacro.*—Prælati excommunicare non debet subditum, nisi competenti monitione præmissa, et ex causa manifesta et rationabili; et contrafacienti imponitur pœna hic expressa. Item punitur subditus, qui falso conqueritur se excommunicatum injuste: et subjicit quid juris, si prælati dicens se errasse, vult excommunicatum absolvere, et adversarius appellat, ne absolvatur.—* Vide moderationem Elencho II. n. 184. **

49. *Noverit.*—Excommunicat hæreticos et quoscumque violatores Ecclesiasticæ libertatis.—* Vide ampliationem Elencho III. n. 50. **

50. *Canonici.*—Fratres Hospitalis Hierosolymitani excommunicati pro injectione manuum in Clericum seu Confratrem, absolvi possunt per eorum Priorem, nisi excessus fuerit difficilis et enormis.

51. *Super.*—Excommunicatus vel suspensus absolvi non debet, nisi prius juramento præstito: si tamen sine scandalo hoc haberi nequit, poterit fieri absoluteio per manualementem promissionem.

52. *Venerabili.*—Cum de viribus sententiæ dubitatur, potest quis absolvi ad cautelam, juramento præstito.

53. *Gravem.*—Excommunicantur Officiales locorum, in quibus sunt statuta contra Ecclesiasticam libertatem, nisi ea deleri fecerint; et statutarii feudis Ecclesiæ sunt privati.

42 Id. C. S. Laur. in Luc. Presb. Card.
Ap. Sed. Leg.
43 Id. Ferrar. Ep.
44 Idem.
45 Morin. Ep.
46 Idem.
47 Id. Spiren. Arg. et Worm. Ep.
48 Idem in Conc. Lat.

49 Hon. III. Bonon. Ep.
50 Id. Mag. et Fratr. Hosp. Hier.
51 Id. II. Tit. S. Prax. Presb. et Card.
Ap. Sed. Leg.
52 Id. Bituric. et Carnot. Decan. et
Subdecan. Aurel.
53 Id. Ep. Senen.

54. *Cum voluntate*.—Alloquens excommunicatum in tendentibus ad salutem animæ, licet alia verba interponat, excommunicatus non est.—Prædicatores, præsertim qui alias sustentari non possunt, ab excommunicatis et detinentibus bona aliena eleemosynam recipere possunt.—Percutiens leviter Clericum ratione officii ad correctionem excommunicatus non est.

55. *Si concubina*.—Communicans excommunicato in eodem crimine damnabili, incidit in excommunicationem majorem.

56. *Duobus*.—Excommunicatus minori, potest ab excommunicatione aliquem absolvere.

57. *Permittimus*.—Permittitur Ministris Ecclesiarum semel in hebdomada celebrare tempore interdicti; concurrentibus his, quæ exprimuntur in textu.—Vide circa hoc disposita à Bonif. VIII. in cap. *Alma* 24 hoc eod. tit. infra, et limitationem Elencho I. numero 75. "

58. *Quamvis*.—Satisfaciens Clerico, quem verberavit, non potest propter hoc ab Episcopo absolvi, nisi in casibus expressis in Capp. *Non dubium* 5, *De cetero* 11, *Quod de his* 23, supra hoc eodem tit.

49. *Si quem*.—Excommunicatio simpliciter lata, intelligitur de majori.

60. *Pueris*.—Beneficium indultum ratione minoris ætatis, postquam cœpit habere locum, non extinguitur, licet minor pervenerit ad majorem ætatem.

IN SEXTO.—Ibi tit. XI.

Cap. 1. *Cum medicinalis*.—Judex, qui excommunicat, suspendit vel interdicat, in scriptis hoc faciat, causam conscribat; et requisitus exemplum sententiæ tradat intra mensem. Qui contrafecerit per mensem ab ingressu Ecclesiæ et Divinis est suspensus: et relaxabitur illa sententia per superiorem: condemnabitur lator in expensis, et aliàs pœna condigna. Si sic suspensi celebrant, ut prius sunt irregulares et absolvuntur à solo Papa.—Quàm cautè deveniendum sit ad fulminationem censurarum, vide Trid. sess. 25. c. 3. de reform. et correctionem hujus decretal. Elencho I. n. 76. "

2. *Solct*.—Qui petit absolvi ad cautelam, docens excommunicationis sententiam in se latam esse nullam, absolvetur, cujuscumque contradictione non obstante, nisi dicatur et probetur intra octo dies excommunicatus pro manifesta offensa. Qui probat se excommunicatum post appellationem, probatione pendente, in judiciis evitabitur, secus extra.

3. *Statuimus*.—Non tenet excommunicatio lata in participantes excommunicatis in locutione et similibus, canonica monitione non præ-

54 Greg. IX.
55 Idem Astoric. Ep.
56 Idem.
47 Idem.
58 Idem.

59 Idem.
60 Idem.
1 Inn. IV. in Conc. Lug.
2 Idem ibid.
3 Idem ibid.

misa.—Vide cap. *Constitutionem* 9, infra hoc eod. lib. et tit. et ampliationem Elencho I. n. 77. "

4. *Quia periculosum*.—Episcopi nullam interdicti, vel suspensionis incurrunt sententiam, nisi in sententia sint expressi.

5. *Romana*.—Archiepiscopus sententias latas à subditis suorum Suffraganeorum, nisi hoc habeat de consuetudine, non relaxat. Generalis sententia Archiepiscopi ligat tantum subditos. Pro præteritis vel præsentibus culpis, monitione non præmissa, ab eis lata sententia est injusta. Pro futuris culpis, vel jam commissis, scilicet, nisi satisfaciant, excommunicare non debet, nisi mora, culpa vel offensa, vel alia justa causa subsit. In Universitatem vel Collegium non fertur excommunicatio, sed in culpabiles.

6. *Dilecto*.—Prælati contra Potentiam temporalem etiam Ecclesiastica censura se tueri potest.

7. *Venerabilibus*.—Excommunicatos à subditis Suffraganeorum Archiepiscopi non possunt absolvere: sed excommunicatos à Suffraganeis vel Officialibus bene, si ad eos appellatum fuerit.—Archiepiscopus in casibus, in quibus jurisdictionem habet, ante cognitionem causæ absolvit excommunicatum ad petitionem partis, vel ex officio, nisi dicatur excommunicatum pro manifesta offensa vel contumacia.—Contumacia autem præsumpta est, quando quis citatus non comparuit intra præfixum terminum. Manifesta verò est, cum quis in judicio prædixerit se nolle comparere, ut ex textu. —Excommunicatio lata per appellationem interpositam ex causa probabili, non statim pronuntiatur nulla, sed fieri potest relaxatio ad cautelam, etiam antequam incipiat de veritate causæ cognosci. Idem si dicatur lata per intolerabilem errorem, et in contrarium error ille probabiliter defendatur.—Si certum est excommunicationem esse justam, fit remissio; si certum est eam injustam, non fit: si est dubium, fieri potest relaxatio, sed honestius est remittere: tenet tamen relaxatio, ubi Archiepiscopus est judex, licet non fiat remissio.—Archiepiscopus in casibus, in quibus excommunicare potest, si adsit consuetudo, emendas pecuniarias exigere potest.

8. *Decernimus*.—Judex Ecclesiasticus compellit Judicem laicum repellere excommunicatos ab actibus judiciariis sibi prohibitis.

9. *Constitutionem*.—Non valet excommunicatio lata in participantes, nisi fuerint moniti nominatim. Et canonica monitio dicitur, quæ habet dierum intervalla, nisi necessitas facti aliud suadeat.—Vide ampliationem Elencho I. n. 78. et correctionem Elencho. II. n. 185. "

10. *Præsentis*.—Relaxatio ad cautelam in generali interdicto non habet locum.

4 Idem ibid.
5 Idem ibid.
6 Idem ibid.
7 Idem ibid.

8 Alex. IV.
9 Greg. X. in Conc. Lugd.
10 Idem ibid.

11. *Quicumque*.—Excommunicat certis limitationibus dantes licentiam offerendi in personis vel rebus suis, vel suorum exercentes contra aliquos Ecclesiasticam censuram, vel exerceri facientes, vel illam servantes. Pœnam prorogat ad utentem tali licentia, vel motu proprio in agentem, et pœnam aggravat.— Hæc excommunicatio, posita ob sordescencia duorum mensium, est reservata Papæ. Ante duos menses, vi textus non est reservata, sed est reservata ex Bulla Cœnæ. "

12. *Si Judex*.—Si malefactor captus à Judice laico dicit se Clericum, cognitio ad Judicem Ecclesiasticum spectat. Et si notoriè, vel publica fama, vel communi æstimatione habetur pro Clerico, statim fit remissio. Idem si priùs se gerebat pro Clerico, et modò deprehensus fuit in habitu clericali. Si autem priùs se gerebat pro laico, licet modò in clericali habitu deprehensus fuerit, non fiet remissio, donec fuerit de clericatu probatum; sed interim contra eum Judex in nullo procedet.

13. *Statutum*.—Non tenet suspensio vel interdictum latum in participantibus, non præmissa monitione canonica.— Textus loquitur de his duabus censuris latis nedum ab Ordinariis, sed etiam à Judicibus delegatis, qui juxtà DD. censuras ferre possunt, licèt in litteris delegationis id non exprimitur. "

14. *Licet*.—Per negligentiam non prosequentis debito tempore appellationem, excommunicatio post eam lata non convalescit: sed poterit tunc denunciari, et debebit vitari, donec de sententiæ nullitate docuerit.

15. *Si Clericos*.—Prælati capi faciens et includens, etiam per laicos Clericum nondum incorrigibilem, excommunicatus non est, nec etiam ipsi capientes. Si talis dat fidejussores de parendo juri, detineri non debet, nisi justa causa id suadeat.— Ex Const. S. Pii V. *Licet*, si indicia delicti sint ad torturam, non habilitatur etiam cum cautione de tenendo domum, aut civitatem pro carcere. "

16. *Si sententia*.—Interdicto Clero, non est interdictus populus; nec è converso. Interdicta civitate propter delictum Domini, cives non interdicti extra ipsa audiunt Divina. Interdicto populo, singulares de populo intelliguntur interdicti.

17. *Si civitas*.—Interdicta civitate, suburbia et continentia ædificia dicuntur interdicta. Interdicta Ecclesia, capella contigua et cœmeterium contiguum dicitur interdictum.

18. *Is, qui*.—Celebrans scienter in Ecclesia polluta vel præsentè excommunicato majori excommunicatione, irregularitatem non contrahit.—Scienter celebrans in loco interdicto in casibus non permissis irregularis et ineligibilis est.

41 Idem ibid.
42 Bonif. VIII.
43 Idem.
44 Idem.

45 Idem.
46 Idem.
47 Idem.
48 Idem.

19. *Quoniam*.—Tempore interdicti chrisma die Cœnæ Domini confici potest.

20. *Is, cui*.—Suspensus ab ingressu Ecclesiæ, in ea divina celebrans est irregularis; et moriens impœnitens, suspensione illa durante, caret Ecclesiastica sepultura. Et suspensio ab ingressu Ecclesiæ, vel officio per appellationem sequentem non suspenditur.

21. *Religioso*.—Religiosum Clericum verberantem absolvit Episcopus, eo casu, quo absolveret Clericum.—Verberans novitium Religionis, excommunicationem incurrit.

22. *Eos, qui*.—Absolutus propter mortis periculum vel aliud impedimentum ab eo, à quo aliàs non poterat, si cessante impedimento, se non præsentat, cùm commodè potest, ei, à quo alias absolvi debebat, recidit in eadem sententiam. Idem in absoluto, qui se debet alicujus conspectui præsentare, si hoc non faciat.

23. *Cùm quis*.—Si percussorem in Clericum sine meo mandato, tamen nomine meo factam ratam habeam, excommunicatus sum; secus si meo nomine non sit facta.

24. *Alma mater*.—Tempore interdicti etiam sani ad pœnitentiam admittuntur, nisi sint excommunicati, qui non nisi in mortis articulo admittuntur, vel nisi causam dederint interdicto, qui non admittuntur, nisi satisfaciant vel caveant, prout possunt. Item illo tempore Missæ et alia divina officia sub pœna distributionum sicut priùs in Ecclesiis celebrantur januis clausis, planè sine excommunicatis et interdictis, et sonitu campanarum: et quater in anno altè cum campanis et januis apertis celebrari possunt, et exclusis excommunicatis, interdicti admitti, ità tamen quòd hi, propter quorum excessum latum est, non appropinquent altari. In cæteris servandum est interdictum. Et revocata sunt privilegia ultra id, quibuscumque concessa.— Vide cap. *Licet* 11. suprà de privil. hoc eod. lib. "

IN CLEMENTINIS.—Ibì tit. X.

Cap. 1. *Ex frequentibus*.—Religiosi etiam exempti, violantes interdictum positum per Sedem Apostolicam vel Ordinarium loci, vel generalem cessationem divinarum facta per provinciale Concilium, vel per eum, qui hoc possit, servatam per cathedralem vel matricem Ecclesiam loci, excommunicati sunt ipso facto, quibuscumque non obstantibus.— Vide cap. *Episcoporum* 8. suprà de priv. in 6. "

2. *Gravis*.—Domini temporales, qui cogunt aliquos in loco interdicto celebrare divina; vel qui per præcones faciunt tunc ad illa audienda populum evocari, vel prohibent, ne publicè excommunicati vel interdicti super hoc, per illos, qui Missas celebrant, moniti ab Ecclesia exeant, et ipsi nominatim moniti, qui non exeunt, excommunicati sunt, et per Papam absolvendi.

49 Idem.
20 Idem.
21 Idem.
22 Idem.

23 Idem.
24 Idem.
1 Clem. V. in Conc. Vien.
2 Idem.

3. *Cum ex eo.*—Fratres minores, si tempore interdicti recipiunt in suis Ecclesiis ad Divina Fratres et sorores tertii Ordinis, excommunicati sunt, nec privilegia juvant.

4. *Si summus.*—Si Papa etiam scienter excommunicato participat, illum non ideo absolvit, nisi hoc exprimat; nec si scienter sub titulo dignitatis aliquem nominet, illum in dignitate approbat.

IN EXTRAVAGANTIRUS JOANN. XXII.—Ibi tit. XIII

Cap. unic. *Cum ad sacrosancta.*—Taxatio gratiarum Sedis Apostol. impetratarum tam cum clausulis consuetis, quam non consuetis hic continetur. Et quot litteras, quotquot dictiones linea complecti debeat, declaratur: ad paupertatem respectus habetur. Contra transgressores poena suspensionis ab officio usque ad sex menses, et quandoque privationis imponitur, et ultra illam abbreviatoribus sententiam excommunicationis Papa comminatur.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.—Ibi tit. X.

Cap. 1. *Excommunicamus.*—Excommunicati sunt, qui pactis aut promissionibus justitiam vel gratiam à Sede Apostolica obtinent, et qui tales non revelant.—Onus hoc revelandi sublatum est ab Alexandro VII Constit. *Inter gravissimas*, qua hæc decretalis confirmatur, declaratur et ampliatur unà cum Constitutionibus Gregorii XIII *Ab ipso*, Clementis VIII *Pro commissa*, S Pii V. *Etsi Romani*. Quas Constitutiones omnes confirmavit, innovavit et ampliavit Innocentius XII Const. *Sacerdotalem* 30 Januar. 1700. "

2. *Provide.*—Propter dominum debita non solventem, ejus terra vel civitas sine speciali Papæ licentia non est interdicenda.—Idem sancivit Clem. VII et Leo X in concordat. Galliæ. "

3. *Ad certitudinem.*—Andronicum Paleologum se Imperatorem Græcorum nominantem, et horum hæresis fautorem excommunicatum denunciavit etc.

4. *Quia.*—Excommunicati sunt impugnantes litteras Papæ ante ejus coronationem concessas.—Excommunicatio hic non est reservata, sed reservata est ex cap. 13. Bullæ Cœnæ; et Constit. Leonis X *Supremi* per impugnationem impediatur exequutio dictarum litterarum. "

TIT. XL.—DE VERBORUM SIGNIFICATIONE.

Cap. 1. *Innovate.*—Novale est terra noviter ad culturam redacta.

2. *Nam, et Rex.*—Appellatione patris veniunt in lata significatione omnes ascendentes.

3 Idem.
4 Idem.
U. Joann. XXII. Aven.
1 Bonif. VIII.
2 Idem.

3 Idem.
4 Idem.
1 Ex cap. 10 Osee.
2 Ex Hier. in cap. 1. Daniel.

3. *Nam, et ego.*—Quasi non dicitur natus, qui statim decessit.

4. *Quod dicitur.*—Dictio *antequam* non semper implicat.

5. *Joseph.*—Primogenitus dicitur, qui primo nascitur, etiamsi nullus sequatur eum.

6. *Intelligentia.*—Verba sunt intelligenda non secundum quod sonant, sed secundum mentem proferentis.

7. *Nihil.*—Non vitatur factum vario modo narratum, ubi idem in substantia narratur.

8. *Propterea.*—Summa, ut c. 6. supra.

9. *Quamvis.*—Non omnis, qui præest, ritè dicitur Præpositus, sed ex usu, qui super alios quamdam prioratus curam gerit.

10. *Forus.*—Explicat:—1.º Quid sit forus.—2.º Quid causa.—3.º Quid iudicium.—4.º Quid negotium.—5.º Quid iurgium.—6.º Quid lis.—7.º Quid argumentum.—8.º Quid probatio.—9.º Quid Iudex.—10. Quid accusator.—11. Quid reus.—12. Quid testes, eorumque qualitates.

11. *Pactum.*—Pactum dicitur inter partes ex pace conveniens à scriptura, legibus ac moribus comprobata, dictum pactum quasi ex pace factum

12. *Jus.*—Hic ponit etymologiam Juris, ut habetur in re, non ut est generale nomen.

13. *Causa.*—Quidquid fidelis offert Ecclesiæ, oblationis nomine continetur, et à sæcularibus possideri non debet.

14. *Quæsit.*—Solutus Sacerdos est minister extremæ unctionis.—In anno bissextili servari debet loci consuetudo circa diem Sancti Matthiæ celebrandum, dum tamen vigilia continuetur festo.

15. *In iis.*—Per verbum *statuo* et *præcipio*, definitiva sententia ferri potest.

16. *Olim.*—Beneficium Principis latissimè interpretari debet.—Vide correctionem Elencho II. n. 186. "

17. *Cum in partibus.*—Generale dicitur interdictum, quod fertur nedum in provinciam, sed in villam vel castrum.

18. *Cum tibi.*—Privilegium contra consuetudinem juri communi obviantem largè est interpretandum.

19. *Cum Clerici.*—Jurans obedire Prælato et Ecclesiæ, non Clero diocæsano, sed Capitulo Ecclesiæ Cathedralis obedire tenetur.

20. *Quærenti.*—Appellatione Ecclesiasticæ censuræ comprehenditur excommunicatio, suspensio et interdictum.

3 Ex eod. in cap. 4 Proverb.
4 Ex eod. in cap. 1 Matth.
5 Hieron. in cap. 1 Matth.
6 S. Hilar. Ep. Pictav.
7 Aug. super Matth.
8 D. Greg.
9 D. Isidor.
10 Idem.
11 Idem.

12 Idem.
13 Pasch. II. Can. S. Martini.
14 Alex. III.
15 Clem. III.
16 Id. Patr. Graden.
17 Id. Colub. et aliis Ep. Portug. l.
18 Idem Altissiod. Ep.
19 Id. Capit. et Prasp. Plac.
20 Id. Abb. Priori. S. Frid. Lucan.

21. *Quid.*—In privilegiis de decimis novalium non solvendis, illud appellatur novale, de cujus cultura non est memoria, et quod prius modicum vel nullum fructum afferebat.

22. *Venerabili.*—Si Ecclesia subjecta Episcopo unitur alteri, vel gubernanda committitur, salvo jure matricis Ecclesiae, per matricem Ecclesiam intelligitur cathedralis, et non Romana.

23. *Ex parte.*—Excommunicatus vel interdictus pro contumacia vel offensa dubia, absolvitur cautione praestita de stando juri. Si verò fuit excommunicatus, vel interdictus pro manifesta offensa, tunc prius debet satisfacere, antequam absolvatur. Et dicitur manifesta, de qua constat per confessionem vel probationem legitimam, vel rei evidentiam.

24. *Cum olim.*—Summa, ut supra.

25. *Abbate.*—Verba privilegiorum debent intelligi, ut aliquid afferant, et non remaneat ambiguitas; et ideo verba *secundum et juxta* videntur appositae causativè, non conditionaliter.

26. *Super.*—Dicit, qui dicuntur haeretici manifesti: quae sint pedagagia, guidagia, et salinaria interdicta. Quomodo intelligitur praecipitum factum laico, quod de se conquerentibus in Ecclesiastico foro respondeat.

27. *Novimus.*—Clericus traditur curiae saeculari, quia degradatur saeculari potestate praesente, cui denunciatur, ut suum forum illum recipiat.—Qualiter facienda sit degradatio, vide Trid. sess. 13. cap. 4. de reform. "

28. *Dilecto.*—Si Papa indulget reo, qui propter absentiam actoris possessionem recuperare non potest, quod ei lapsus anni non noceat, intelligitur haec indulgentia secundum jus commune.

29. *Cum inter.*—Oblationis nomine intelligitur quidquid offertur Ecclesiae, quocumque modo in Missa vel extra et in Ecclesia vel extra.

30. *Ex parte.*—Lis dicitur mota, cum fuerit contestata.

31. *Ex parte.*—Constitutio legati de solvenda tertia mortuorum Episcopo, intelligi debet de mortuariis, in quibus de jure communi debetur.

32. *Tua nobis.*—In privilegio de percipiendis fructibus beneficiorum, appellatio beneficiorum etiam majora beneficia comprehendit, quando privilegium est concessum Episcopo pro honesta et favorabili causa.

- | | |
|--|---|
| 21 Id. Caesaraug. Ep. | 28 Honor. III. Tyren. Arch. |
| 22 Id. de Alcobatia. et F. et P. Monach. Alcobatiae. | 29 Id. Prior. et Cleric. SS. Jo. et Paul. Tudertin. |
| 23 Id. Ab. S. Genovesae Decan. et Cancell. Paris. | 30 Id. Abbatib. et Convent. S. Florae Aretin. |
| 24 Id. Comitissae Blesensi. | 31 Id. Prael. et Capit. Univers. Constantinop. |
| 25 Id. Ep. et Canror. Atreb. | 32 Idem Ep. Tullen. |
| 26 Id. Com. Tolos. | |
| 27 Id. Ep. Parisien. | |

33. *Transmissæ.*—Verbum moderationis diminutionem continet, non augmentum.

IN SEXTO.—Ibi tit. XII.

Cap. 1. *Veniens.*—Declarat quid significet verbum privilegii: *recipimus vos in proprios filios Ecclesiae Romanae*, et quis locus dicatur esse desertus.

2. *Constitutionem.*—Declarat manifestum et evidens esse synonyma et idem significare, quo ad casum cap. *Si fortè* 11. de elect. in 6.—Declarat esse conspiratores et conjuratores, qui juraverunt et statuerunt de non recipiendo aliquem in canonicum ad mandatum Papæ, donec possent resistere.—Statutum de non recipiendo aliquem ad Papæ mandatum, multis ex causis est detestabile et illicitum.

3. *Exiit.*—Declarat penè cunctas hæsitaciones, quæ circa D. Francisci regulam contingere possunt, praesertim, an Fratres minores, quos Chordigeros vocant, illius regulæ professores sint ad omnia Evangelii consilia obligati: et utrum aliquid proprium habere, et pecuniam recipere, legataque sibi relicta agnoscere valeant, cum multis aliis ambiguitatibus resolutis.—Vide moderationem Elencho I. n. 79. et cap. *Ad conditorem* 3. infrà.—Hæc decretalis est Nicol. III., non IV., ut habetur in plerisque antiquis Codicibus, cum data sit Soriani, ubi circa finem anni 1280 obiit idem Nicolaus III: Nicolaus verò IV numquam fuit Soriani. "

4. *Privilegium.*—Declarat, quòd si eximantur à jurisdictione Episcopi capellæ alicujus monasterii, pro his intelligenda tantum sint loca secreta et solitaria specialiter deputata monachis ad contemplandum, ubi illi morantes, et non alii exempti sunt.

5. *Sicut.*—Appellatione Clericorum suorum, quibus privilegiatus aliqui conferre possit beneficia, declaratur eos venire, qui verè et non fictè sunt ejusdem privilegiati familiares et commensales viventes illius expensis, etiamsi ad aliquod tempus pro ipsius agendis negotiis abfuerint.

IN CLEMENTINIS.—Ibi tit. XI.

Cap. 1. *Exiit.*—Declarat cap. *Exiit* 3. supra.

2. *Sapè contingit.*—Declarans quid significet clausula appositae in judicialibus commissionibus, quæ fiunt à Principe, vel à jure, *procedatur simpliciter, et de plano, et sine strepitu et figura judicii.* Determinat de substantia judicii summarii requiri:—1.º Querelam per accusationem, denuntiationem aut inquisitionem propositam.—2.º Citationem rei.—3.º Probationem causæ aut delicti, quæ incumbit cuicumque querelanti.—4.º Defensionem rei.—5.º Prolationem sententiæ in scriptis latae.—6.º Juramentum de calumnia, vel malitia sive de ve-

- | | |
|---|---------------------------|
| 33 Greg. IX. Decan et Sacrist. Engolimen. | 4 Bonif. VIII. |
| 1 Inn. VI. | 5 Idem. |
| 2 Nicol. III. | 1 Clem. V. in Conc. Vien. |
| 3 Idem. | 2 Idem. |